

HENRICVS MISERATIONE DIVINA MISNENSIS EPISCHOPUS<sup>a)</sup> OMNIBUS IN PERPETUUM. | Ne lites litibus inculcentur et ne deleta pastoralis sollicitudine materia questionis oblivione vel aliqua interpretatione dubia | reviviscant sicque peior errore priore novissimus error fiat, Christi fidelium tam presentium quam futurorum noticie fieri volumus | manifestum, quod nos ad instantiam et querelam dilectorum in Christo filiorum abbatis et capituli sancte Marie in Cella Theodericum de Wriberch excommunicavimus iusticia exigente pro eo, quod bona quedam, que sunt in terminis ipsius ecclesie, | videlicet pratum unum et forestam prope Bruningesdorph, ex donatione bone memorie Ottonis marchionis, secundum quod | in ipsius privilegio, quod fide perspeximus oculata, expressius continetur, liberaliter ipsi data, prenotatus Theodericus auctoritate propria iniuste occupaverat | et aliquamdiu detinuerat occupata. Sepedicto autem Theoderico fere per annum in sua pertinacia perdurante, tandem inspecto<sup>b)</sup> horrore male | conscientie remordentis ad cor rediens ad nos venit, nobis in dicto monasterio personaliter constitutis, et absolutionis beneficium | a nobis humiliter postulavit et, ut omnis quiesceret materia questionis, eisdem bonis, de quibus questio vertebatur, absolute et liberaliter necnon et omni actioni | in posterum in nostris manibus resignavit et sic absolutionis beneficium obtinuit, quod petebat. Humilitate igitur ipsius inspecta et ad preces | nostras moti misericordia circa ipsum fratres monasterii sepedicti bona ipsa eidem enim et heredibus eius sub certa annua pensione iure hereditario contulerunt, | ita ut de eisdem persolvat monasterio sepedicto annis singulis certis temporibus marcam unam scilicet in festo Walpurgis dimidiam et Egidii reliquam | dimidiam. Ut igitur huius facti memoria, sicut rite factum est, ad posteros deferatur, id presenti pagine inscribi iussimus et ad robur evidentius firmitatis subscriptione testium et sigilli nostri munimine fecimus consignari. Huius rei testes sunt: Sifridus de Pigawia, Cvnradus noster notarius, Heinricus advocatus de Wriberch, Theodericus Catulus, Cristanus de Othewich, Lvdewicus, Nycholaus Lutheri filius, Arnoldus de Rossewin, Dithmarus villicus de Poppendorp et alii quam plures. Acta sunt hec in Cella sancte Marie anno gratie M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XXX<sup>o</sup>IIII<sup>o</sup>, idus aprilis, indictione VII<sup>a</sup>, pontificatus nostri anno<sup>o</sup>.

(SP.)

## 106.

***Papst Gregor IX. beauftragt den Abt des Zisterzienserklosters Altzelle, das von der Königin K(unigunde) von Böhmen gestiftete und mit ihren Gütern ausgestattete Zisterzienserinnenkloster St. Marienthal alljährlich zu visitieren und die Nonnen in den Ordensstatuten zu unterweisen.***

1235 Juli 13, Perugia

*Urkunden der Bischöfe v. Meißen, S. 129–131 (U 106; mit weiteren Argumenten, die für das Jahr 1234 sprechen), zu A siehe ferner S. 57 f., 139 f., 277.*

a) sic A.

b) e nachträglich von erster Hand mit derselben Tinte eingefügt A.

c) sic (ohne Angabe des Pontifikatsjahres) A; zur Datierung vgl. auch die Vorbemerkung.